ALBERTI RITTER
GYMNASII REGIO-ILFELDIACI PRO-
RECTORIS ET SENIORIS
NEC NON ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE
CVRIOSORVM MEMBRI

SPECIMEN II.
ORYCTOGRAPHIAE CALENBERGICAE

SIVE

RERVM FOSSILIVM

QVAE SVB ADPELLATIONE RERVM NATVRALIVM
VVLGO VENIVNT
ET IN DVCATV ELECTORALI BRVNSVICO-
LVNEBVRGICO CALENBERG ERVVNTVR
HISTORICO-PHYSICAE DELINEATIONIS
ADIECTO SIMVL

INDICE

LAPIDVM QVORVMDAM FIGVRATORVM RELIQVARVM
PROVINCIARVM HANOVERANARVM
CVRIOSIS HACTENVS PLERVMQVE INCOGNITORVM
QVI AD NOSTRAM PERVENERVNT NOTITIAM

CVM TABVLA AENEA

SONDERSHVSAE A. S. C. MDCCXLIII.

Digitized by Google

St. Ambrosius Præf. in Pſalmos:

In ſcopulis quoque ipſis et lapidibus reperit natura, in quo delectet.

Digitized by Google

A. et Ω.

EXsoluimus hoc ipso scripto paruo, qua hactenus tenemur, nostram fidem, quae est seruanda, quam dedimus, quum superioribus annis in lucem ederemus publicam *Specimen I. Oryctographiae Calenbergicae*, simulque circa eiusdem finem promitteremus hiſtoriam naturalem Ducatus Calenbergici planius pleniusque describere; & cum nostra scrinia non sufficerent ad propositum noſtrum explendum, igitur in subsidium sumebamus, nobisque officiose expetebamus beneuolentiam Curiosorum Calenbergensium, qui benigne adiuuarent noſtra in hiſtoria naturali patria conamina, & amice nobiscum communicarent, quae haberent ad illam amplificandam, absoluendam, quare etiam, quum officia sint remuneranda, offerebamus ad illos alliciendos noſtra vicissim Hercynica curiosa, sane non spernenda; aſt dolemus, ex multis vix vnum et alterum exstitisse, qui nostris petitionibus demissis aures praebuerunt beneuolas, dum non responsori-

Digitized by Google

is solum suis litteris gratiose et humaniter nos beauerunt, iisque varia et multa antea nobis ignota curiosa detexerunt, sed etiam varia Calenbergico-Luneburgica fossilia & alia liberaliter transmiserunt, quo in eorum descriptione eo minus offenderemus, id quod alias facile accidere potest, quam certe singularem beneuolentiam, humanitatem atque liberalitatem gratissimo, obstrictissimo agnoscimus animo, debitisque heic praedicamus et celebramus laudibus.

Enim vero qui possumus reticere nomina Fautorum nostrorum, a quibus tantis ornati cumulatique beneficiis, inique omnino faceremus, si nostrum hac ex parte intermitteremus officium, et nonne hoc neglecto in aliquam ingratitudinis suspicionem, turpissimum illud ipsis ethnicis sanioribus detestabile vitium incideremus? quare bona cum illorum pace publice et libere profitemur id, quod tacere nefas ducimus.

Primus itaque est noster Patronus gratiosus Generosissimus Dn. Anton Adam de Mannsberg, Dominus haereditarius in Maimbrixen, Regio Anglicanus et Electoralis Brunsuico-Luneburgicus Capitaneus supremus communiter Oberhauptmann praefecturarum Grohnde et Oehsen Ducatus Calenberg, scimus Te esse praecipuum studii naturalis amatorem, et possidere optimam rerum naturalium tam patriarum quam exoticarum Collectionem, inque hac a Te simul adseruari Fossilia Calenbergica plurima et potiora a Dn. Bierdemann infelici St. Ministerii Candidato, mente quippe capto, multa diligentia et multo labore lecta, post huius mortem ab eius vnico fratre Pastore Saltzhemmendorfiensi, amico quondam nostro in Academia Julia integerrimo ex haereditate accepta, hoc autem demortuo ab eius relicta vidua pronumerata pecunia a Te adquisita, quorum catalogum nobis gratiose misisti, pro qua beneuolentia gratias Tibi persoluimus quas debemus maximas.

Alter noster Fautor est Praenobilissimus Dominus Johannes Georgius Keysler, Societatis Regio-Anglicanae membrum dignissimum, Liberorum Baronum de Bernsdorff antea studiorum et morum moderator, inque eorum itineribus longinquis dux, iam vero suauiter vitam agens in litteris, et ipse suus dominus, regulam sequens prudentium: non sit alterius, qui suus esse potest. Hic satis inclaruit hactenus in orbe erudito scriptis suis eruditissimis, limatissimis, videlicet Antiquitati-

bus

Digitized by Google

bus suis selectis Septentrionalibus et Celticis 1726. publicatis, itemque Itineribus suis Nouissimis germanice conscriptis 1740, et 1741. duobus Tomis euulgatis, in vltimis inprimis Te praestas peritum studii naturalis aestimatorem, non minus in illis ostendis, quod etiam litterae Tuae mihi satis superque indicarunt, quem aestimabilem thesaurum (a) lapidum figuratorum, petrifactorum, mineralium, aliorum in multis Tuis itineribus, multa cura, multoque sumtu conquisiueris; gratulamur praeterea studio geographico, cui primus, id quod diu optauimus, praeter eas, quas huc vsque habuit varietates, suauitatesque, pro communi iuuentutis studiosae vtilitate, iucunditate, tamquam summam addidisti et studium naturae, his nostris temporibus summopere gratum acceptumque, ac ad summum fastigium a Societatibus variarum gentium eruditis euectum.

Non intermittite, enixe rogamus, Viri Generosissime, Praenobilissime nos vlterius dignari vestro praeclaro fauore, vestro commercio epistolarum nobis admodum iucundo, vestraque beneuolentia pro augmentatione et exornatione scriniorum nostrorum, omnia enim collocabitis apud animum gratum atque memorem.

Quatuor autem membris Lectoribus nostris beneuolis Naturae Curiosis forsitan sumus satisfacturi, nimirum I.) Addendo, II.) Supplendo, III.) Corrigendo, denique coronidis loco his IV.) Adnectendo Indicem generalem rerum naturalium in reliquis terris Luneburgicis reperiendarum.

Membrum I.) Addimus in Specimine I. Oryctographiae nostrae Calenbergicae iam indicatis et quidem

Pagina 7.

Salzhemmendorff, de huius loci et in illo salinarum origine ideo nihil

(a) Hoc in Thesauro latebat etiam elegans et vnicum, quantum nos quidem scimus, exemplar rarissimi fossilis Capitis Medusae Würtenbergici petrifacti, lapidi fissili inpressi, prope pagum Ombdam extracti, quod pluribus descripsit in peculiari Dissertatiuncula Epistolari, typum quoque eius adiecit adcuratum B. Doct. Hiemer, Concionator et Confessionarius aulicus Stutgardiensis, ab huius haeredibus emtum pro praesentibus quinquaginta thaleris, dono dein oblatum Excellentissimo Dn. D. de Hugo, Consiliario aulico et Archiatro Anglicano-Regio, qui illud in suo instructissimo Technophylacio inter alia rariora et selectiora adhuc adseruat. vide Commentat. nostram II. de Zoolitho-Dendroidis pag. 6.

nihil certi conſtat, quamuis certum ſit, vltimas ad exſtruendum oppidum occaſionem dediſſe, quia ſaepius calamitoſa perpeſſus incendia, quibus ſcripturae publicae ſunt concrematae; interim docuit nos celeberrimus Dn. Baring, Bibliothecarius Anglicano-Regius et Electoralis Luneburgicus in litteris ſuis ad nos humaniſſime exaratis ex ſua Deſcriptione Salinarum Ducatus Calenbergici locorumque adiacentium MSS. quae mox ſecundum praeclariſſimi Auctoris opinionem lucem adſpiciet publicam, ſalinas Saltzhemmendorffienſes iam anno 1130. ſcaturiſſe, ſalemque coctum eſſe. Salinaria ſunt noſtro tempore duodecim, ex quibus tria ad regem, cetera ad Senatum oppidanum et priuatos pertinent; aqua ſalſa, communiter die Söle aeſtate ac tempeſtate ſicca ponderat octo ſemuncias, tempeſtate vero humida, et quando aquae pluuiales vel ſpuriae, vulgo wilde Waſſer interueniunt, ſex, ad minimum quatuor ſemuncias; ad coquendam illam, in cacabos ſalarios quando eſt admiſſa, adhibentur ligna, plerumque carbones foſſiles, qui in vicinia maxima copia eruuntur.

pag. 9. et 10.

Hanouer et pagus *Linden:*

in proximis collibus arenoſis reperiuntur *pyritae* globoſi, heic dicuntur Schwefelnüſſe, ſulphure enim praegnantes ſunt, adhuc *oſteocolla*; alios pyrites cupri globoſos virides ſaxo inſidentes commemorat Gronouius in Indice Supellectilis ſuae lapideae pagina 5.

Bitumen liquidum fuſcum; idem ibidem.

Bitumen liquido-*tenax* cum matrice ſiue ſchiſto; Gronouius loc. cit.

Echinitae ſemiouati et conuexi; *Echinites* galeatus vulgaris ſeu elatus, galeam referens. id. ibid.

Conchae venereae formoſae in ripis fluminis Leinae.

Terra foſſilis vulgo Torf; Lachmundi Oryctogr. Hildesheim. pag. 9.

Oſtreae minores prope vrbem maxima copia; Agricola Libr. Foſſil.

Amniculus, qui perfluit ſiluam die Ellgerie dictam ſuo loco deſcriptam, habet plurima *Cornua Ammonis* minora ſuperficie laeui, vel Nautilos naturales non petrifactos, teſta ſua naturali adhuc praeditos. Haud

Haud procul ab vrbe versus solis occasum genus gemmae *sardae*, Carniol inuenitur.

Selenites Lindensis formae rhomboidalis in puluerem redactus, et ferro candenti iniectus emittit nitorem splendidissimum, quemadmodum amethystus saxonica nitorem caerulaeum emittit. Plebs infima adhibet in febribus seleniten medicinam probatam vsu, est enim praecipitans quoddam, sed multas particulas inpuras adhuc continens.

Dens caninus vel incisorius secundum opinionem praeclarissimi Dni. Keysleri, qui ipse vero nescit, cuius animalis, badii ac splendentis coloris, subtiliter striatus, ipsos duos pollices longus, et ipsum semipollicem crassus, ex lapicidina Lindensi, qui durissimo lapidi fuit inclusus; nos potius putamus, cum pace tamen nostri Fautoris aestimatissimi, dentale esse marinum petrifactum, his potissimum inducti rationibus, I.) propter rotunditatem anteriorem, II.) propter strias, III.) propter gracilitatem testae, vix namque crassitiem testudinis tenellae adaequat, IV.) quia praeterea effarcitur terra argillacea friabili, quae omnia in dentis substantiam non quadrant. vide Tab. aen. Fig. I. Tab. Aen. Fig. I.

Oculus cancri marini maioris, vt opinatur Dn. Keysler, Lindensis, vnam eandemque habuit matricem cum antea descripto dente, eiusdem est magnitudinis, coloris, formae, vt ouum ouo similius vix possit esse, ac faba dimidiata hortensis caerulea maior, hoc tamen discrimine, vt vnum latus sit conuexum coloris caerulei, alterum excauatum albidi coloris; quid si habeamus pro faba petrifacta? ceterum de fabis lapideis euoluendus Helwing in sua Lithographia Angerburgica p. 38. Volckmann in Silesia subterranea p. 129. 131. 136. Excellentissimus D. Brückmann in Epistola Itineraria LXIV, de Lapidibus figuratis rarioribus nondum descriptis et delineatis pag. 11. de lapide simili ita scribit; est lapis durissimus, intus cauus, reniformem *phaseolum laeuem*, a natura politum, brunnum, ex omni parte et exactissime referens, qui patriam Silesiam agnoscit. Recentiores Lithophili hos phaseolos ad dentes piscium, ac animalium marinorum quorumdam molares petrifactos, non sine fundamento, recte referunt; iconem huius dedit in tab. IV. fig. 4.

Be-

Digitized by Google

Belemnitae e pratis ad vrbem copioſe eruuntur, ex agris aratro proferuntur, inque ripis fluminis Leinae leguntur, quaedam ex his tamquam electrum flauidae et pellucidae, hinc adpellantur belemnitae electrini, et hi ſuccini inſtar palas, aliasque res minutas adtrahunt. Vide celeberrimi D. Brückmanni Epiſtolam itinerariam LXV. pag. 5. et Lachmundi Oryctographiam Hildesheimenſem p. 25.

Ex litteris Praenobiliſs. Dn. Baring, Bibliothecarii Anglicano-Regii benigne ad nos nuper datis Foſſilibus Lindenſibus indicatis adiicimus *ſcapulam* naturalem minorem, *Dendrites* elegantes, ſed rariores, etiam *Dentem hippopotami* vel alius animalis marini, maiorem rariſſimum, quem poſſedit Dn. Eccard, quondam Prof. Hiſt. Juliae, dein Biblioth. Angl. regius, tandemque Conſil. Moguntinus intimus.

pag. 11.

Herrnhauſſen, heic quoque reperiuntur *Oſtreae* diuerſae magnitudinis, *tubuli vermiculares*, atque *cochleae terreſtres.*

pag. 12. et 13.

Neuſtadt am Rübenberg, *Conchites* maior biualuis et rotundus, ſtriis tranſuerſalibus ſemicircularibus ornatus, ſimilis Bonanni num. 354. qui vltimus tamen ſtriis praeditus es oblongis.

Alius ſimilis, cui adhaeret tubulus vermicularis, et in vno latere quodammodo compreſſus.

Adhuc alius ſimilis, cum duabus auribus patentibus, cuius poſterior pars prominet e matrice, quo in lapide ſimul videntur plurimi ſingulares tubuli vermiculares.

Aſteriae formoſiſſimae, harumque columellae in ſilice.

pag. 15.

Bandeln, praeter *Cornua* commemorata pyritoſa aliud *petrifactum* pulcerrimum e terra effoſſum, cuius diameter ipſos tres digitos emetitur, ſtriis altiſſimis et latioribus continuis dorſum verſus ſeſe magis magisque aperientibus et incuruantibus, paulatimque in ipſo dorſo ſeſe contrahentibus ornatum, bis non incurioſe fractum, tunc enim adparebant internae cauitates vel concamerationes nautili perſpicuae, minutis cryſtallulis albidis, rubicundis, caeruleis adornatae, ſane iucundiſſimum ſpectaculum. vid. Oryctograph. noſtrae Goslarienſ. editio altera pag. 50. tab. II. fig. 2. ſimile habet Langius in Hiſtor. Lapid. figur. Heluetiae pag. 80. tab. XVII. fig. 2. Brüg-

Brügge pagus, in hoc arx nobilium de Steinberg, et reliqua aedificia ad oeconomiam pertinentia ex meris fere lapidibus trochaceis exstructa; in lapicidina proxima non numquam *columnae trochorum* eodem ordine ac panes similaginei superimpositorum maiores minoresue offenduntur, rarissime *stella marina* integra reperitur, huius elegantissimum exemplar, quae adhuc gaudet pediculo suo perlongo et inhaeret matrici suae obsitae quasi multis trochis formosis, ante oculos ponit tab aen. fig. II. et aliam stellam optime expressam sine pediculo repraesentat eadem tab. fig. III. *Encrinum monstrosum* quem dicimus rariorem vide in eadem tab. fig. IIII. Rosinus in Disquisitione de stellis marinis nominat hunc *Radium stellarum* separatum, audiamus ipsissima eius verba, quae huc transscribere licebit ob scriptuli raritatem: Radius stellarum separatus cum adnatis ab vtroque latere exiguorum articulorum seriebus, quae videlicet illa ipsa videntur esse membra a Rumphio Bahren vocabulo belgico nuncupata, quibus nempe animantia talia marina pedum brachiorumque vti solent loco. Haec ipsae vero appendiculares articulorum series in illo demum loco, quo radius stellae bifariam fissus duplicem poſtea articulorum ordinem emittit, primum comparere incipiunt; vbi ad radii diuisi vtramque partem noua illa articulata membra propullulant.

Tab. Aen. Fig. II. — Fig. III. — Fig. IIII.

Quum proinde bifidos eiusmodi stellares radios non in extima solum, sed intima etiam superficie a se inuicem plane diremptos, atque praeterea quemlibet ex illis propriis suis adnatis articulatis pedibus instructum esse conspicerem, in causa haec mihi fuerunt, quare separatos illos radios pro talibus singularibus agnoscerem, atque cum numero decem essent, stellam, cui adhaerent, hinc decem radiorum appellarem. Rosinus l. c. pag. 34. tab. III. fig. 7.

In agris proximis leguntur *echini*, *conchae striatae* sed admodum plerumque deformes, et minus bene expressae. In sylva autem das Fölveßer Holß cognominata reperiuntur *Ammonis Cornua* striis distinctissimis signata in matrice et extra illam.

Landwehrſchencke, *Ichthyospondyli* piscium maiorum vertebrae nigro colore, de quibus videri poterit Luidius in Lithophylac.

Britann. Ichnograph. pag. 83. sq. Bayerus in Oryctograph. Norica pag. 55. tab. VI. fig. 32.

pag. 16. et 17.

Lauenſtein, huius arcis in monte locatae vastationem exploratam non habemus, interim communis est narratio in hunc vsque diem propagata, et in seros posteros sine omni dubio propaganda, olim fuisse duos fratres Comites de Spiegelberg, horum vnum possedisse arcem Spiegelberg, alterum arcem Lauenſtein, illum saepius solicitasse hunc fratrem suum, vt sibi cederet arcem suam Lauenſtein, qua domo venatoria vti velit, cum vero noluerit obsequi voluntati suae, clandestinum atque detestandum consilium cepisse, fratrem suum e medio tollere, et arcem incendio delere, quod etiam effecerit, et quidem hoc modo, vt sequitur: quodam tempore lautum conuiuium comparare iussisse, in quo fratrem suum adhibuerit principem, quod inter pocula hilaria sit celebratum laetitia omnium praesentium conuiuarum, hoc finito, adstitisse duos fratres ad fenestram sermocinantes, ipso momento arcem Lauenſtein exarsisse non fortuito, sed oblato incendio, quam flammam furibundam comites fenestris apertis videre potuissent, illo ipso tempore etiam adparuisse quosdam electos, instructos et subornatos, cum audacissimos, tum viribus maximis, qui infelicem fratrem metu exsanguem cum ferro inuasissent et misere crudelissimeque trucidassent, arcem vero flammis exustam et crematam non fuisse posthac exstructam, quare adhuc hodie eius cadauera modo ante oculos nostros iacere.

Tab. Aen. Fig. V.

Ex hoc arcis monte caeduntur lapides durissimi coloris cani, *Bucardites* vid. Tab. aen. Fig. V. formosissimi, maiores, minoresue; *Conchae venereae* elegantissimae maiores, minores in his latent, non minus *Filix* topho distincte impressa in illo reperitur, Lithographis *Filicites* dicitur.

His adiungimus insuper *Belemnitarum* species varias plerumque singulares in Praefectura Lauenſtein lectas, quae erunt:

Belemnitae flaui, pellucidi instar succini, alias Lyncurii dicti.

Belemnitae fusci et subfusci.

Belemnitae subcinerei, quibus adhaerent minores nigri belemnitae.

Bele-

Belemnitae canaliculati nigri per mediam longitudinem insigniti crena vel aequali, vel simplici, vel duplicata.

Belemnitae apicem versus striis vel sulcis signiti

Belemnitae cum alueolis instar medullae ipsis inhaerentibus.

Belemnitae cum alueolis materia selenitica albescenti repletis.

Belemnitae nigri rotundi, alii compressi, prægrandes, trium ferme vel quatuor digitorum longi.

Naturalia Curiosa Lauenſteinensia singula possidemus ex liberali donatione Dn. Chriſtiani Eberhardi Niemeier, Praefecti Lauensteinensis, qui his in terris propter suas diuitias sane opimas, magna felicitate, maiore diligentia, maxima prudentia oeconomica paratas, propterque singularem beneficentiam non in cognatos solum, vel aliqua necessitate sibi coniunctos, sed etiam in omnes vtique pauperes, et fortuna laesos notus quam qui notissimus, pro qua humanitate ac beneuolentia illi hac optata occasione publicas et debitas gratias persoluere liceat.

Marienhagen:

Conchae laeues et striatae; aliae sinuosae elegantissimae, lapidi cano duriori inclusae, nonnullae albo quasi alumine plumoso splendente potius testa sua naturali perlacea semi-calcinata inuolutae, hinc argenteas, vel filamentis argenteis obductas putes; similes habes in Oryctographia nostra Goslariensi edit. alter. pag. 15. itemque lapides fibulares loc. citat.

Ligni petrifacti frustula.

Astroitae pentagoni, et *Pentaphylloides* lapidei coloris pallidi, similes Baieri asteriis tab. I. num. 14. Oryct. Nor. et Rosini l. c. tab. V. lit. B. num. 3. delineatis.

Columellae Astroitarum pyritosae.

Cancri brachium pyritosum, vide Tab. aen. Fig. VI. Cum *Car-* Tab. Aen.
cinolithi siue partes cancrorum marinorum et fluuiatilium Fig. VI.
petrifactae admodum sint rarae, in mineram vero metallicam transformatae adhuc multo rariores, non iniucundum ac ingratum erit Lectori, heic in figura sub signo ʘ adpo- Tab. Aen.
nere *chelam cancri marini*, vulgo Taſchen-Krebs dicti, in mar- Sign. ʘ
casitam mutatam, quam apud amicum noſtrum integerrimum,

mum, constantissimum Dn. D. *Brückmann* Wolffenbüttelae ante quatuor, et quod excurrit, annos praesentes lustrauimus, qui istam cum variis aliis rebus, in dictam mineram mutatis, ex insula Sancta siue Helgoland, quae pyrite maxime abundat, transmissam accepit et adseruat. Amicus nos certiores facit litteris, asterias pyritosas, cornua Ammonis pyritosa, et alia curiosa Marienhagensia his temporibus vel plane non, vel rarissime admodum inueniri.

Salzhemmendorf, pag. 17. et 18.

Astroites seu Corallion orientale albidum perdurum et perelegans. vid. Büttneri Coralliograph. tab. I. num. 7. pag. 19.

Ostracites seu Concha rugosa, seu imbricata, aliquo modo similis Baieri l. c. tab. V. num. 1.

Conchitae biualues nuci maris a Bonanni sub num. 100. effigiatae non absimiles, maiores tamen strias habent, valde spissas, et cordis figuram fere imitantur.

Lapis cui impressa matrix *pectinitae* maioris, similem habet Baier in Oryct. Nor. tab. V. num. 3. insuper in eo conspiciuntur Bonanni *Balani* plures.

Adhuc alius cum matrice *Pectinitae*, sed striis angustioribus, qualem depingit Baier l. c. tab. V. num. 2. Bonanni Class. II. num. 5.

Cornu Ammonis maius lapideum in campis repertum, cuius diameter ferme emensus est septem digitos.

Buccinitae longi et laeues in matrice et extra illam, in his vnus decem gyris constat, admodum elegans, in matrice iacens, similis est Buccinitae Baieri in Oryct. Nor. tab. III. fig. 22.

Oſterwald, pag. 18.

Sulphur natiuum pulcerrimum potiſſimum in latomiis gypseis, quae adpellantur der Wentzerbruch, reperitur, et huius venae ipsum gypsum permeant.

Venae *Carbonum fossilium* adductorum primum inuentae 1561. horum duo sunt genera, vnum nominatur Schmiede-Kohlen, quibus fabri ferrarii vtuntur, quia minus gaudent sulphure, et quadrigis curribus deportantur in finitimas prouincias, ducatum Calenberg, episcopatum Hildesheim, principatum Grubenhagen; alterum genus multo sulphure praegnans adpellatur Brandkohlen, et adhibentur ad sal coquen-

Google

coquendum, et ad vitrum conflandum. Operarii in fodinis carbonariis multa patiuntur incommoda, dum vernali atque autumnali tempore, et aër quando est crassior, vix libere possunt respirare, et lapsant quasi graues e cereuisia vel vino adusto, plerumque laborant morbo asthmatico, Hercynici vocant die Hüttenkatz, quadragesimum, vel quinquagesimum ad summum, raro attingunt annum, insuper celeberrimus Dn. Keysler in Itineribus suis Nouissimis Tom. II. pag. 345. scribit: in his fodinis sclopetum breuioris modi explodi non posse, id quod ipsi praesentes et illas inuestigantes et perscrutantes quondam sumus experti, in caussa omnino erunt quam maxime exhalationes nociuae sulphureae, metallici dicunt die Witterung. De carbonibus fossilibus Saltzhemmendorfensibus et Osterwaldensibus etiam agit Lachmund in Oryctographia Hildesheimensi pag. 9.

Officinam vitriariam 1701. primum exaedificauit Praefectus Lauensteinensis supremus nominatim Wedemeyer, quae iam est communis et haereditaria duabus familiis Wedemeyerianae et Bremerianae.

pag. 19. et 20.

Lefedagſen, *Cochleae* nitidae; *Conchae* biualues lapideae longiores, graciliores, quae fere conueniunt cum Bonanni Dactylis, quos vide num. 28. 29. 30.

Mehlen

Glossopetrae, potius dentes piscis carchariae, subtiles coloris cineracei. (b)

Turbinitae cum quinque vel pluribus helicibus ex ampliori basi vel orificio in apicem tenuem fastigiatis, maiores, minoresue, in matrice et extra illam.

Cochlitae maiores, minores, minimi, quorum nonnulli crusta siue testa naturali adhuc circumdati.

Asteriae quinquangulares argillae inuolutae, similes vide in Rosini l. c. tab. V. lit. B. num. 2.

(b) Isidorus libr. XVI. c. 14. de hoc lapide scribit: Glossopetra, γλωσσα πετρα, gemma, similis linguae humanae, vnde et nomen sumsit. Fertur autem, deficiente luna, caelo cadere, cui non modicam magi tribuunt potestatem, nam ex eo lunae motus excitari putant.

Columellae harum graciliores.
Terebratulae elegantiores.
Conchitae, striis transuersalibus.
Cochleae gyris extantioribus, similes Bonanni cochleae depressae, vide Class. III. num. 27. sq. inueniuntur in fodina argillacea.
Trochitae similes Bonanni Strombis vid. Class. III. num. 89.
Conchae minores canae, quas Baierus Buccinitas superficie exasperata, et tuberculis vel punctis notatas dicit l. c. tab. III. num. 20. 21. 22. iacent in argilla nigra.
Cornua laeuigata petrifacta.
Cornua pyritosa foliis quasi picta.
Cornu leuigatum pyritosum adhaerens lapidi caesio.
Cornuum Ammonis fragmenta, sua adhuc naturali concha vestita.
Musculitae fluuiatiles, maiores, atque minores, quales vide Baier l. c. tab. IV. num. 11.
Horum aliud genus, quod in hoc diſcrepat, quia in vtraque valua striis notabilibus transuersalibus ornantur, color est badius.
Conchites rarior, quem Luidius nominat *Curuirostram* non clauatam, colore nigricante.
Lignum petrificatum minera marcasitacea praegnans.
Belemnitae cum alueolis.
Lyncurii.
Belemnitae nigri maiores ex fodinis carbonum fossilium, inde forsitan harum nigredo, vulgus hinc nomen ei indidit der Rabenſtein, et Lithographi Lachmund in Oryctograph. Hildesheim. pag. 25. Helwing in Lithograph. Angerburgica pag. 30. adpellant illam *Coraciam* vel lapidem coruinum; plebs simplex et credula, cui se adsociant vetulae superstitiosae, plerumque firmiter sibi persuadent, eum esse inuisibilem, qui hunc lapidem secum in sacciperio gerat, quaerendum tamen esse peculiari modo et superstitioso, vide Celeberr. D. Brückmann Epist. Itiner. LXV. pag. 4. et quem adducit libellum, cuius titulus: Gantz neu entdeckte Geheimniſſe oder ſonderbahre Secrete pag. 93. Valeat ergo ille famosus pastor Gyges, regis Lydorum Candaulis domini sui interfector, et reginae dominae suae stuprator, regni vero Lydi-

Lydici dominator cum annulo suo aureo, magico, rarissimo, cuius versatione solum istum modo visibilem, modo inuisibilem fuisse communiter narratur, (c) quum res longe viliores, et cuiuis obuiae eandem nobis praestent artem; sed habeant auari arcas suas diuites, honestae matronae, castaeque virgines ianuas suas hanc eandem ob caussam firmiter clausas et obseratas, ne quid sibi aestimabile, amabile, irrecuperabile furtiue auferatur.

Ahrenfeld:

Tophus, in quo haerent testae paruae concharum; adhuc aliae latent in terra margacea.

Asteriae cuspidatae, vid. Rosinus l. c. tab. I. lit. B. num. 3.

Columellae asteriarum huiusmodi.

Entalii.

Fungitae.

Echinitae papillares.

Turbinitae.

Astropodium, simile Büttner in Coralliograph. tab. I. fig. 7. delineat.

Turbines frequenter in agris occurrunt.

Ergen:

Terra margacea indicata non agros solum reddit fertiles, sed etiam ab omni lolio purgat.

de *Nucibus Margaceis* communiter Mergelnüße, potius Marcaſiten ibi commemoratis, itemque splendidissimis crystallis Dn. praefectus supremus Ertzensis Voigt, qui anno praeterlapso spiritum, quem naturae debuit, reddidit, cui nostro quondam Fautori beate defuncto placidam quietem precamur, nobis magnam partem paullo ante mortem suam iterum transmisit, in his erant globi aculeati, laeuesque maiores, qui duas libras fere ponderabant, alii sibi inuicem adnati,

(c) Hanc Gygis fabulam ex Platonis libr. II. de Republica commemorat Cicero de Officiis libr. III. cap. 9. concinne autem et adcurate explanauit Vir summe Venerabilis D. Ern. Sal. Cyprianus, Consiliarius ecclesiarum Gothanus, praeceptor quondam noster in illustri Gymnasio Casimiriano, quod Coburgi floret, cui tunc temporis Director praeerat, quem ad cineres vsque summa venerabimur obseruantia ob fidelem eius institutionem, in peculiari dissertatiuncula de Annulo Gygis, 1703. diuulgata.

Digitized by Google

nati, item cubi maiores, minores exacte plani, reliqua (d); inter crystallos albissimas, perlucidissimas, purissimas singulares quasdam instar piri parui cum suo pediculo formatas, sed angulares, sane elegantissimas et pulcerrimas inueniebamus, quae nobis alias numquam occurrerunt, nescio an vlli, quas pictas vide sis in tab, fig. VII.

Tab. Aen. Fig. VII.

Membrum II. Supplemus Specimen nostrum I. Oryctographiae Calenbergicae, dum noua superioribus addimus sequentia:

Linsburg arx venatoria in media sylua amoenissima exstructa, a militibus inualidis custodita, vbi Rex Angliae Georgius II. regiones suas haereditarias inuisens anno MDCCXLI. aliquamdiu moratus venationibus se delectauit; eodem tempore in proximitate nempe ad vrbem munitam Visurgi adiacentem Nienburg parua castra, alia ad vrbem validissimis munimentis cinctam Hamelam, ad machinationes Gallorum, qui exercitum in Circulum Westphalicum duxerant, frangendas posita.

Heic loci *pseudoadamantes* reperiuntur durissimi, splendidissimi, hinc facile etiam lapidum pretiosorum periti, quid dicamus ignorantes decipi possunt, factum quippe est vt Electrix Sophia beatissimae memoriae, felicissima coronae Anglicanae haeres, princeps doctissima, diuina mente et virtutibus maximis incredibilibusque praedita, quae habebat adamantem Linsburgensem arte paratum, auro inclusum, tentaret gemmarium aulicum, quidnam sibi videatur de hoc lapide, et quanti aestimaret, iudaeus hunc probum adamantem reputans licitabatur eum quatuor millibus thalerorum, et quamuis huic aperte significaretur, etiam vera et certa indicia

(d) Vsum medicum pyritarum praestantissimum per literas nobiscum benigne communicauit Dn. Spangenberg, Medicinae Practicus Walckenridensis celeberrimus sequentem, et quidem his verbis: Ich habe vor dem Jahre im Closter Gerrode auf dem Eichsfeld gesehen, dass ein damahls anwesender vornehmer Gast einen seiner Bedienten faſt augenblicklich von der Colique befreyete, da er einen teutſchen Flintenstein glüend gemacht, in Wein gelöscht, und den Patienten solchen zu trincken geben; monet vero simul; der Stein muss nicht corrosivisch oder arsenicalisch seyn, sonst kan die Cur unglücklich ausfallen.

dicia darentur, pseudoadamantem esse, tamen ab emtione et licitatione abire noluit, sed Princeps sancta atque iusta, ne iudaeus alios deciperet, vel damno adficeret, annulum suum sustulit, ac sibi habuit.

Sälge pagus haut procul a fluuio Leina situs, ad hunc orientem versus proxime videtur pyramis quadrata ex lapidibus ad normam aptatis in basi sua innitens in media via regia constructa, a rusticis corrupte dicta der Abenroths-Thurn, est vero monumentum sepulcrale ducis cuiusdam militum, cuius corpus quoque sub hoc quiescit, qui vna cum quingentis militibus gregariis bello trecennali funeſto occisus, dum vellet hostem explorare et cognoscere, id quod adparet ex lapidi insculpta inscriptione, in qua haec est sententia: *Hoc monumentum intrepido ac nobilissimo heroi domino Johann Michaël Obentraut, equitum reg. Dan. Maiest. Christiani IV. locum tenenti Generali, qui hic die Martis XXV. Octobris MDCXXV. fortiter pro patria et libertate pugnans occubuit. F. F.*

Fluuius Leina heic eiicit *belemnitas* plurimos, quidam ex his sunt laeues, alii in superficie inpressa habent conchularum formamenta.

Der Wallenberg mons in praefectura Lauenſtein, ex hoc caeditur lapis canus, et perdurus, quo in frequentius offendimus *turbinitas* petrifactos, elegantissimos, tres quatuorue digitos transuersos longos.

Der Kanſtein mons praealtus in eadem praefectura ad oppidulum Saltzhemmendorf, in quo legere poteris:

Turbinites laeuigatos, fere similes turbini Bonanni num. 33. vide et Volckmanni Siles. Subterr. pag. 175. tab. 29. fig. 5. quem adpellat buccinum laeue minus rostratum.

Turbinitam trium modo gyrorum.

Cochleas laeues clauiculatas.

Neritas in matrice et extra matricem, Baier l. c. tab. 3. num. 27.

Conchas laeues varias, maiores, minoresque, partim clauiculatas.

Buccinitas.

Cochlitas.

Bufonitem oblongum, paruum, elegantem, a rusticis nominatum ein fiſch-aug.

Ichthyospondylos coloris albido-flauidi, Baier l. c. pag. 55.

Osteocollam.
Glossopetras minores.
Tubulos vermiculares coloris nigricantis, maiores, minores, quales describit Baier l. c. pag. 72. tab. 6. fig. 13.
Alios lapidi flauido inhaerentes.
Tubulum vermicularem, cuius alteri lateri adhaeret valua minoris conchitae striis transuersalibus ornata.

Hamela vrbs quondam Hanseatica, Visurgi flumini nauigabili adiacens, operibus munitionibusque fortissimis septa, mercatura atque variis officinis florens, captura salmonum, priscis temporibus cataracta periculosa die Hämeliſche Schlacht dicta, iam sumtuoso aquarum emissario, tandemque fabula veteri et anili, quod MCCLXXXIV. a glirium venatore centum et triginta liberorum Hamelensium fuerint ciuitate educta, et a monte dem Keppelberg absorpta, fama celebratissima. (e)

Ad hanc in lapicidina calcaria veteri ante aliquot annos praeclarissimus Dn. Baring reperit *stellam marinam* tempestatum iniuria quodammodo deformatam, quam dono obtulit Dn. D. Rosino, tunc viuo, nunc beato.

Fos-

(e) Vide Schediasma nostrum de Nucibus Margaceis pag. 7. praeterea Hamelam versibus elegiacis eleganter describit Henr. Müllerus, quos nondum impressos adponere licebit:

Ad ripam dextram stat structa Hameloa Visurgis,
moenibus ac vallis, milite, ciue valens.
Turribus excelsis sunt hic duo templa tonantis,
in queis precones dogmata sacra docent.
Dignaque spectatu sunt curia, Pharmacopoeon,
et schola, ponsque tegens longus et altus aquas,
Artes mechanicas hic sedulus incola tractat,
Palladis et Phaebi sacra frequensque colit.
Piscibus interdum fallentia retia tendit,
nauibus et flumen, vomere scindit humum.
Vrbs Hameloa nitens, tremor hosti, gloria ciui,
Te tegat, et regat is, qui regit astra Poli.

Funestam vero et tragicam historiam abductorum liberorum Hamelensium Hannib. Nulleius sequenti modo:

Vrbs Hameloa suos gemitu gemebunda requirit,
abduxit quondam quos lacrymosa dies.
Centum et triginta sorpsit ceu vasta vorago
vna dies, sed non reddidit vlla dies,

Digitized by Google

Fossilia ad ripas Visurgis Boreales pagos inter Uſen et Baden reperta:

Echinitae papillares albi et elegantes, in matrice et extra matricem.

Asteriae, item *columnulae* albae *asteriarum.*

Spongites vel potius *Fungites.*

Arombyli minores fossiles.

Tubuli vermiculares minores albi.

Lapides iudaici albi; quidam flauidi et pellucidi; alii minus pellucidi, horum nonnulli calce seu albore calciformi vestiti.

Fragmenta Entaliorum alborum.

Nucis myristicae duo exemplaria, alterum maius, alterum minus. Volckmann Silesia Subterr. pag. 129.

Musculitae striati viridis coloris in matrice et extra matricem.

Dendritae subtiles eleganter picti, lapis est corneus.

Conchites rostro subtereti et insigniter adunco donatus Bonanni.

Aetitae rotundi, angulares, coloris albidi.

Turbinites angulosus candidus transuersis lineis leuiter crispatus, persimilis Bonanni turbini Class. III. num. 104.

Lapides cornei colorati, pellucidi, obscuri, cum venis interdum coloratis.

Thedinghausen pagus Visurgi proximus, vbi:

Alueoli virides *lapidei*; alii in lapide viridi haerentes.

Aetitae angulares, rotundi, coloris albidi; alii coloris flauido-fusci, quidam horum ob arenam inclusam sonum reddunt.

Achim eidem fluuio adiacens, heic:

Asteriae in medio perforatae.

Asteriae quinquangulares cuspidatae, itemque rotundae.

Asteriarum columellae rariores.

Romae olim bello, sed aperto Marte cruentos
ter centum Fabios abstulit vna dies.
Hos autem pueros mistim paruasque puellas
bello non aptos abstulit vna dies.
Quam grauis ergo fuit Romana per atria luctus,
tam grauis hic dolor est vrbs Hameloa tuus. reliqua

Aſteriae in lapide corneo. Roſinus l. c. tab. ıx. lit. A. num. 2.

Matrices Belemnitarum in ſilice perduro. Helwing Lithogr. Angerburg. pag. 49.

Lapis corneus quodam aſteriarum genere ſignatus, ſimilium calculis aleatoriis, a nemine adhuc, quantum recordamur, adnotatus.

Lapides albi cum venis corallicis, in harum fine vel cuſpidibus aſteriae adparent.

Lapides cornei, in horum ſuperficie corallia ſubtiliſſima, et ramuli corallini partim punctati, partim poroſi, vt et placenta corallina adparent, ſimiles Büttner in Coralliographia pag. 28. deſcribit, et tab. IV. num. 1. delineat.

Alcyonia minora, vel fragmenta corallini denſioris nodoſi ſtriati, et gyrati, effigiem vide 515. in Coralliogr. Büttneri tab. II. num. 10. et 19.

Fungites albi et poroſi, infra locus conſpicitur, vbi caulis adhaeſit.

Albi *globuli* rotundi, poroſi, nonnulli perforati, vt filamento inſtar coralliorum ſubduci poſſint.

Pſeudo-Chelidonius.

Fragmenta *ligni petrifacti*, in his vnum coloris albidi cum medulla nigra.

Lapides coloris cinerei ſtriati inſtar nucium moſchatarum, quidam illorum quoque harum formam habent.

Silices colore amethyſtino tincti.

Donſen vel Dünſen pagus, ad quem leguntur:

Aſteriae ſingulares formoſae.

Eaedem in lapide corneo.

Columellae Aſteriarum quinquangularium cuſpidatarum nigri coloris ex fodinis argillaceis.

Aſtropodium vel Madrepora maior, cuius ſuperficies aſteriis radioſis a centro verſus peripheriam extantioribus conſita, coloris flauido-fuſci.

Cornu lapideum iacens in lapide rubro.

Lapis, qui continet *cornua* parua laeuigata, *belemnitas* paruos nigros, *alueolos*, atque *conchulas*.

Cornua lapidea vndoſa. Baier l. c. pag. 61.

Lapis

Digitized by Google

Lapis in cuius ſuperficie videntur *cornua* Ammonis ſpina dorſi eminentiori, *belemnitae*, musculi minores.

Turbines in agris leguntur variae magnitudinis, laeues, ſtriati, tuberculis vel punctis notati; etiam ex ſaxis caeduntur ſimul cum pectunculis.

Musculitae fluuiatiles.

Harderode pagus, heic inueniuntur:

Columellae Aſteriarum lapidi duriori incluſae.

Pectinites biualuis, in vtraque parte ſtriis maioribus ſignatus.

Conchites biualuis oblongus, et vbi vertices valuarum coeunt, vertices pauliſper ſunt contorti, ſtriis inſuper transuerſalibus gaudet ſemicircularibus, exacte conuenit cum concha Bonanni num. 380. depicta, in riuo pagum perfluente repertus.

Conchae terra margacea occluſae.

Weenſen pagus, alii ſcribunt Wenßen,

in proxima ſilua eiusque fodina arenaria reperiuntur putatae *miculae argenteae*, ſimiliter *ſulphur natiuum* perelegans.

Bremke pagus, vbi:

Cornu Ammonis cum articulata ſpina dorſi et ſtriis obliquis.

Cornu Ammonis lapideum cum dorſo ſulcato, Baier l. c. tab. III. num. 10.

Grohnde pagus praefecturalis, vbi ad pagum Lünterf, rarius quamuis, genus *cryſtallorum Pyrmontanarum* elegantiſſimarum inuenitur; ex litteris Generoſ. de Mannsberg ad nos gratioſe exaratis.

Oebsen pagus praefecturalis, ad hunc mons der Hagenberg dictus, in quo *Aſteriae* elegantes copioſe occurrunt, non minus tabulae lapidis calcarii iisdem aſteriis conſertae; ex eiusdem litteris.

Wallenſen pagus,

in huius et vicinis montanis *Teſtacea petrifacta* copioſiſſime leguntur; ex iisdem litteris.

Denique Hiſtoriae noſtrae Naturali Calenbergicae ſubnectere lubet monaſterium et Abbatiam Ordinis Ciſterciensis Marienrothe, extra fines quamuis poſitam, nempe propter vrbem Hildesheimium, quia Abbas Marienrothenſis vnus ex praecipuis Ducatus

Calenberg proceribus est, horumque in conuentu sessionem et votum habet.

Ad hoc monasterium, et ad vicinum pagum *Dickholtzen* inueniuntur *Pectinites* formosissimi, quorum testae adhuc sunt integrae et illaesae; porro *Farrago Concharum* laeuarum, inprimis striatarum; praeterea *Conchae venereae* maximae, atque pulcerrimae, quales tanta magnitudine, tanta expressione, tantaque elegantia haut scio, an vllus vnquam Lithographus descripserit, emetiuntur quippe plerumque longitudine ipsos quatuor pollices, interdum vltra, latitudine tres pollices, lapis est arena flaua; ad vltimum exemplar *Echini* integri, vtique rarissimi, formosissimi, singularissimi, hoc ipso loco forte fortuna in itinere, et in ipsa via regia
Tab. Aen. Fig. VIII. reperit Praenobiliss. Dn Keysler, cuius hanc descriptionem in litteris nobis dedit; *Echinus* est excauatus, diameter eius pollices duo et semi, altitudo ipse vnus pollex, crassities octaua pollicis pars, paruis subtilioribusque pectunculis cum striis transuersalibus obtectus, in basi sua habet duo foraminula, quibus pectunculi nonnulli sese insinuant; vbi similis? Dn. Keysler in itineribus bene multumque versatus, plura quam centum Lithophylacia instructissima Imperatorum, Regum, Ducum, aliorum perlustratus addit, se nullibi locorum talem vidisse. Tab. aen. Fig. VIII.

Membrum III. Corrigimus melius edocti, qui in Specimine I. nostrae Oryctograph. Calenberg. nobis insciis irrepserunt errores leues, et speramus fore, vt Lectores Beneuoli eo facilius nobis sint condonaturi, ac errare humanum est.

pag. 5. Ex numero Praefecturarum Calenbergensium duae habitae Praefecturae Groſſen-Muntzel et Bodenwerder segregandae.

ibid. Pro Lichen lege Lachem, haec Praetura olim pertinebat ad finitimum Comitatum Schaumburg, sed ab Amalia Elisabetha Landgrauia Hassiae, Principe vidua regnante, et a Philippo Comite Schaumburgico Duci Brunsuico-Luneburgico Christiano Ludouico MDCXLVI. tradita, quod pactum et

con-

conuentum pace Weſtphalica eſt confirmatum, poſt id factum illa cum Ducatu Calenberg concorporata.

pag. 6. Das Steinhuter-Meer proprie pertinet ad vicinum Comitatum Schaumburg, et modo leuiter tangit verſus Septentrionem fines Calenbergicas. Ex hoc genus piſcium die Bleke, vulgo Gunck nominatum maxima copia certo anni tempore capitur, et Hanoueram adfertur; Stinte vero eſt piſcis marinus, et Hamburgo venit.

pag. 8. Collectionis numiſmaticae omnino perrarae et ſumtuoſae pro quindecim millibus thalerorum aeſtimatae pretium B. Abbas Molanus ipſe conſtituit ſexaginta millia thalerorum, dum aurum ſolummodo ſecundum pondus ſuum aeſtimatum quindecim millia thalerorum faciat ſummam, argentum vero viginti quinque millia thalerorum; inter numiſmata aurea plura ſunt, quae pendent triginta, ſexaginta, octoginta ducatos; nummos aureos maiores, vndecim numero, quos numiſmatarius celeberrimus Carlſtein cudit, et qui repraeſentatione exprimunt res immanes a Carolo XII. Rege Sueciae fortiſſimo geſtas, Beatus Abbas commutauit cum B. Praeſide Camerae Hanoueranae de Goertz pro mille et quadringentis thaleris, quod horum nummorum pretium erat internum. Huius Muſei numiſmatici, non minus Technophylacei, et Bibliothecae, reliquorum haeredes fuerunt familiae Hattorfiana et Boehmeriana propter propinquam cognationem.

pag. 10.
Via ducens ad ſeceſſum Regio-Electoralem belliſſimum Herrnhauſen iam conſita tiliis vmbroſis, noſtro autem tempore, quamdiu Hanouerae commorabamur, populis altiſſimis.

pag. 15.
Brügge pagus iudicialis Nobilium de Steinberg iacet in Epiſcopatu Hildesheimenſi ad ipſas fines Calenbergicas, et fluuium Leinam, qui Ducatum Calenberg et Epiſcopatum Hildesheim heic ſeiungit.

pag. 19.
Meimbreren pagus iudicialis Nobilium de Mannsberg ſitus in Ducatu Wolffenbüttelenſi, et quidem in Praefectura Für-
ſten.

Digitized by Google

ſtenberg, confini Ducatui Calenberg; praeterea poſſessiones in hoc Dn. de Mannsberg ſatis vtiles ſunt feudum Ducum Calenbergenſium.

Membrum IV. Adnectimus ſcriptis Indicem generalem Rerum Naturalium, quae in reliquis terris Brunſuico-Luneburgicis reperiuntur, et quas vsque huc Curioſi plerumque ignorarunt, ac illas potiſſimum ex litteris Celeberr. Dn. Keyſleri, aliorumque excerpſimus, id quod gratum acceptumque Naturae amatoribus et ſcrutatoribus futurum nequaquamdubitamus.

A.) Ducatus Lauenburg, in hoc

Wotersen, vbi

Lapis corallinus, in quo ſimul adparent *echinus* paruus elegans, et paruus *radius* echini.

Alius in quo videntur *matrices aculeorum echini* tenuiorum et formoſorum, vid. Büttner Coralliogr. tab. IV. num. 15.

Pyrites qui includit *concham* oblongam rugoſam maiorem naturali ſua teſta veſtitam; itemque partem ſtellae marinae.

Pyrites cum incluſis *echinis* maioribus, minoribus, eorumque fragmentis.

Amygdala petrificata maior elegans pyriti matrici adhuc adhaerens, quam luſum naturae putamus.

Pyrites cui inpreſſa matrix *conchae* paruae eleganter ſtriatae, Büttner l. c. tab. IV. num. 18.

Concha rotunda maior tranſuerſim rugoſa; alia alteri quaſi ſuperinpoſita, in pyrite cano duriore videnda.

Lapis mammillaris dictus, nihil vero aliud ſunt mammae quam echini ſcutula. Büttner l. c. pag. 30. num. 11.

Corallia ſubtiliſſima in pyrite. vid. Büttner l. c. pag. 28. tab. IV. num. 1.

Lapis arenoſus albo-canus cum incluſis *conchis anomiis* laeuibus.

Echinus maior coloris lucido-punicei, lapis eſt corneus.

Bele-

Belemnitae electrinae.
Farrago concharum.
Matrix *conchae laeuis* formosae et maioris in lapide calcario.
Stellarum marinarum fragmenta.
Lapides iudaici.
Fungitae.
Pectunculi.
Lapides vermiculares.
Conchae singulares.
Chelonites.
Madreporae.
Hammites.
Denique singulare quoddam exemplar lapidis cornei, in quo latent aliquot *radii integri echinini* magnitudine quatuor, immo sex pollicum.

Lancken, vbi

Echini plerumque minus eleganter notati.

Echini elegantes, rariores, in his, liceat ita nominare, *reticulares*, similes vide in tractatu a Melle de Lap. Figur. Agri Litorisque Lubecensis tab. IV. num. 1. 4. 7.

Echini dimidiati.

Fragmentum *echini reticularis* maioris in pyrite, vid. vtique Büttneri Coralliograph. Subterran. pag. 30. tab. IV. num. 14. de hoc scribit: Echinina inpressio conuexa in lapide corneo.

Echinus corrosus, marga alba effartus.

Terra splendens coloris lucido-punicei, Glintzer, metallici vocant Blende, huius maxima, immo incredibilis copia, quamdiu sub terra latet, mollis est et friabilis, quamprimum vero aer illam circumfundit, fit durior, et degeneratur in lapidem; Praeclar. Dn. Keysler hanc dicit materiam primam, ex qua lapides silices formantur.

Conchae, *Echini* et alia communiter includuntur a lapidibus corneis, quorum heic copia tanta est, vt illis ipsi campi obtegantur, et agri prataque iis quasi muris lapideis septi.

Elmenhorst, vbi

Echini dimidiati, ac si cultro essent diuisi, ceterum elegan-

ter expreſſi, quos, quantum nos quidem ſcimus, nullus adhuc Lithographus adnotauit.

Saëms, vbi

Echini in pyrite.

B.) Ducatus Lüneburg, in hoc

vrbs *Lüneburg*, vbi

Gloſſopetrae Stein-Zungen, Natter-Zungen, rectius dentes carchariae aut lamiae piſcis, reperiuntur in fodinis argillaceis verſus orientem, cui monti lateritiam officinam ſuperſtructam cernere licet, plerumque ſunt triangulares, modo incuruae, quales nemo alius Oryctographus commemorat, modo rectae, modo caeſiae, modo nigricantes, ſiue luteae albicanteſque; adhuc in eadem fodina occurrunt *Conchites*, *Conchylia*, *vnicornu* aut ebur, *lignum foſſile*, *turbines*, *brontiae*, *trochoides:* Reiskius de Gloſſopetris Luneburgicis pag. 8. 19. 20.

Dentalia ſtriata naturalia. Dn. Keyſler Neueſte Reiſen Tom. II. pag. 541.

Succinum foſſile diuerſis in locis Luneburgicis.

Glacies Mariae vel ſpatum album, huius venae permeant lapidem calcarium; igne vſtum, et in puluerem redactum inſeruit ad depurganda vaſa aurea, argentea, itemque limbos aureos et argenteos.

Zigacker, vbi

Conchites, qui conſtat ex Turbenitis, conchis laeuibus, oſtreis minoribus, cui nomen *Polymorphum* Lithographi indiderunt.

Echini formoſi in lapide corneo.

In monte oppido proximo leguntur *Conchae*, *Cochleae*, *Turbinitae*, *Dentales*, *Conchae venereae*, *Belemnitae*, *Pectines*, *Echini* in pyrite, *Farragines Concharum*, cetera; inde etiam eſt luſus naturae nempe *ouum gallinaceum* naturali in omnibus ſimillimum.

Danneberg in huius proximitate, inprimis ad pagum Langendorp Albi flumini finitimum fodiuntur, vel aratro eruuntur, immo ventis ſaeuis ſaepius deteguntur, dum haut raro vnum pedem ſub terra latent, et terra eſt arenoſa, *vrnae ſepulcrales*

les frequentiores, harum materia, magnitudo, forma varia, in illis pluries praeter cineres, ossicula, partes armorum, nummi antiquiores, ceraunitae, alia fuerunt posita. In silua proxima effoditur *alumen plumosum* ex monte, qui audit der Alaunberg.

Schnackenburg ad Albim, vbi

Succinum fossile; praeterea fluuius Albis diuersis in locis succinum eiicit, praesertim ad pagum *Vietze.*

Lüchau, vbi

Lignum petrificatum.

Luckau, vbi

Lignum fagineum petrificatum magna copia offenditur.

Gartow finibus Marchicis adsitum, vbi

Nautili naturales in riuulo die Seege dicto pagum perfluente.

in monte dem Höbeckerberg *Silices dendritei*, similes in aliis Albi adiacentibus collibus, vt et in ripis fluminis, talem elegantissimum possidet Dn. Keysler in ripa Albis ad Boitzenburg inuentum; porro *Conchae, Radii Echini, Pectines* cetera.

Lapides ferri praegnantes vitriolo, hinc admodum friabiles, sub terra sunt albissimi, in aëre libero autem adquirebant colorem caeruleum.

Vrnae sepulcrales, in his nominati *Ceraunei* vel *secespitae*, tam ex lapide, quam metallo arte confecti.

Ad praedium inprimis Wirl nominatum ex loco palustri effodiuntur tria potissimum *succini* genera, 1.) album, tamen nebulosum quodammodo vel nubilum, 2.) flauum ac pellucidum, 3.) nigrum, alias gagates dictum, vltimi fumus male olet, contra ea primi et secundi odor est suauis atque iucundus, succinum nigrum saepe lignum inpraegnat; album et flauum habet omnem bonitatem atque qualitatem succini Prussici, et inuoluitur arena alba intermistis fibris nigris radicum. *Rarissimum* huius *succini exemplar*, cui inpressum erat folium piri, quo detracto tamen eius imago remansit integra et optime expressa, Dn. Keysler dono obtulit magno illi Naturae Aestimato-

matori et Scrutatori Londinensi Hans Sloane. vid. Dn. Keysler Allerneueſte Reiſen Tom. II. pag. 559.

Ulgen, ad hoc oppidum fluit riuus die Gertau adpellatus, in quo *margaritae* reperiuntur magnitudine lentis.

In vicinitate oppidi inueniuntur *Pseudo-adamantes*, qui habent ignem maiorem quam Linsburgenses supra descripti.

Adhuc *Echini* formosi.

Oldenſtadt, vbi

Echinorum varia genera.

et dum heic quondam puteus fodiebatur, simul *succinum* erutum, magnitudine et ipsa forma adsimilans ceram, qua litteras obsignamus, extractum ad pedes viginti altitudinis.

Celle oppidum, in Allerae margine repertum *corallium*, quod fluuius eiecit.

In agris leguntur *Pseudo-adamantes* rariores, Echinites.

Bodendick, vbi

Echini formosi in lapide corneo latitantes.

Burgdorf, vbi

Liquidum nigrum in palustribus locis, aquae innatans, a rusticis depletur, et loco axungiae ab illis adhibetur ad linendum currus suos. Lachmund Oryctograph. Hildesheim. pag. 9.

Ahlten, vbi

Multa *Turfa* effoditur; et ipsi, cum praeessemus nobilibus liberis Generosissimi Liberi Baronis *de Bülow*, supremi saltuum Luneburgensium Praefecti, qui possessiones sat commodas heic habet, in agris collegimus ipsos modios *Belemnitarum;* in horto autem *Echinos* rariores tenuissima crusta, paruis gibbis ornata, inductos, margaque alba effartos. vid. Excellent. D. Bruckmanni Epist. Itiner. VII. pag. 5. Epist. Itiner. XXXII. pag. 6.

C.) Ducatus Grubenhagen, in hoc

Eimbeck, vbi

in monte, cui nomen inditum der Huf, Septentrionem versus in itinere ipsi legimus *Cornua Ammonis* petrifacta maiora, minoraque. *Aste-*

Digitized by Google

Aſteriæ cuſpidatae in lapide calcario.
Aetitae coloris albi maiores, minoresue, nonnulli ſimiles ſunt magnitudine capiti infantuli recenter nati, ſonum reddunt propter incluſos lapillos.
Ceraunites maior foramine praeditus in eodem monte vomere denudatus, coloris nigro-caeſii, longus vnum pedem et fere ſex pollices, craſſus octo pollices, ponderat octo libras, adſeruatur in pharmacopolio oppidano.
Oſterode vrbs ipſis radicibus montium Hercynicorum meridionalium adſita, vbi
Alabaſtra varia et elegantiora.
Lapides fiſſiles nigri, in quibus figurae *piſcium*, quorumdam *inſectorum* eleganter expreſſae conſpiciuntur. vid. Comment. noſtra Epiſtolar. I. de Foſſilibus et Naturae Mirabilibus Oſterodanis pag. 11. et pag. 16. Celeberr. D. Brückmann Epiſt. Itiner. XXVI. pag. 5. ſeq. Miſcellan. Berolinens. pag. 119.
Gloſſopetra, videatur Excellentiſs. D. Brückmanni Epiſtola Itiner. XXIX. pag. 4.
Not. *Mineralia Hercynica* pluribus commemorare ſuperſedemus, quia, ſi tibi volupe, illa omnia ordine recenſita legere poteris in pretioſo et multo labore germanice conſcripto opere, cuius titulus eſt, D. Franc. Ern. Brückmanni Magnalia Dei in locis ſubterraneis, Parte I. pag. 100. ſqq. Parte II. pag. 234. ſqq.
Herzberg, vbi
Alabaſtra perpulcra bey der Aſchenhütte.
Scharzfeld arx rupi praecipiti inaedificata, huic vicinum Antrum Schartzfeldianum, ex quo eruitur *vnicornu foſſile*; *integrum caput* cum omnibus ſuis dentibus naturale, ſed calcinatum, quondam monſtrauit nobis antrum perſcrutantibus Dn. Janus, Praefectus arcis, ſpeciem capitis vrſi exactiſſime praebens; et ſimile ante aliquot annos Coburgi vidimus ex hoc ipſo antro, cum Muſeum inſtructiſſimum B. Verporten luſtraremus. vid. Curioſiſs. D. Brückmanni Epiſt. Itiner. XXXIV. Bernh. de Rohr Merckwürdigkeiten des Ober-Hartzes pag. 305. qui Polyhiſtor, vt ſcripta eius plurima teſtantur,

Fautor et Amicus noſter verus praeterito anno vitam ſuam cum morte commutauit, cui itaque placidiſſimam quietem ex intimo animo optamus. Lachmund commemorat de *Cranio* ingente hominis prope arcem Schartzfeld reperto in Oryctogr. Hildesheim. pag. 68.

Alabaſtra bey der Kautzhütte. Excellent. D. Bruckmann Epiſt. Itiner. XXVI. pag. 11.

In proximo *Antro* das Weingartenloch nominato, quod iacet inter pagum Oſterhagen et tabernam diuerſoriam die Nixſey ſtatim iuxta viam regiam, quoque vnicornu foſſile foditur, inprimis ab habitis Venetis pro communi opinione *terra auro praegnans;* partem huius antri ipſi perſcrutati ſumus MDCCXLI. quamuis maximo noſtro incommodo propter anguſtos aditus, et tam in veſtibulo, quam in cauernis ipſis veſtigia in ſolo luroſo atque humido nouiſſime preſſa eorum videnda erant, qui illo die, vel nocte praecedente ante nos antrum intrauerant, cuius deſcriptionem habemus adcuratam in editione altera Behrens Hercyniae Curioſae ſtatim ab initio.

Elligerode oppidum, vbi

in agris legitur *Jaſpis* ruberrimus cum venis albis atque caeruleis, ſane formoſiſſimus, qui admittit polituram optimam propter duritiem, ſubtilitatem particularum lapidem conſtituentium, harumque compactionem, conficiuntur ex illo tabellae ad capſulas ſternutatorias conſtruendas, minuta alia.

Rothehütte, officina ferraria fluuio Budae frigidae adſita, vbi

Marmora verſicoloria detecta omnino pulcerrima, duriſſima, ſplendidiſſima, quare etiam Camera Regio-Electoralis dicto flumini 1739. molendinum ſerratorium adſtrui curauit, in quo marmora ſecantur, et ad varios vſus aptantur.

D.) Ducatus Goettingen, in hoc

Göttingen vrbs ad fluuium Leinam, vbi

et quidem in monte dem Haynberg, huiusque lapicidinis

Conchae

Conchae marinae lapideae ſimplices et duplicatae.
Cornua Ammonis, horumque varia genera.
Stellae maxima copia.
Turbinitae rariores.
Conchae laeues, itemque *ſtriatae*.
Pectines formoſi.
Conchae ſinuoſae incredibili copia.
Conchae laeues dendritis pictae.
Gryphitae.
Tophus, qui includit arundinem, cochleas ſubtiliſſimas naturales.
vid. Göttingiſche wöchentliche Nachrichten XVIII. Stück 1735.
adhuc
Achates et *Pectines* in monte dem Scherenberg.

Wehnde monaſterium, ad quod MDCCXXXVIII. duae vrnae ſepulcrales ſunt effoſſae.

Roſtorff:
Hoc loco d. 3. Junii, anni 1686. *Betula* et *Abies* viginti et quatuor pedum altitudine ſub terra repertae, vid. Petr. Valent. Berckelmanni Relatio de illis eodem anno promulgata, et Joh. Henr. Stuſſii, Collegae quondam noſtri honoratiſſimi, iam Rectoris Illuſtris Gymnaſii Gothani celeberrimi Memoria B. Theodor. Berckelmanni Abbatis Amelungsbornenſis 1733. edita pag. 135.

Münden oppidum in confluente Fuldae et Werrae, vbi
Echinitae.
Conchae.
Cochleae cornuum Ammonis ad inſtar intortae e marga erutae.
Buccina foſſilia ventricoſiora trium vel quatuor gyrorum.
Cornu Ammonis maius Nautiloidaeum.
Lithoxilum.
Carbones foſſiles.
denique *creta alba*.

Ollendorf inde eſt *Cornu Ammonis* maius, cuius diameter octo pollices, cum vertebris et interſtitiis diſtinctiſſimis.

Quod

Quod adhuc reliquum, ne patientia Beneuolorum nostrorum Lectorum abutamur, dum praestitimus, vt opinamur, quae debebamus, et poteramus, hoc potissimum erit, vt illis felicia quaeque ex intimo corde adprecemur, eosque vehementer etiam atque etiam rogemus, velint nobis, nostrisque ingenii monumentis in posterum quoque tempus fauere, ac hactenus fecerunt, quo studium nostrum hoc modo incitetur et inflammetur, ad alia, si Deus Clementissimus vitam insuper concedet, tendere, valete igitur quam optime, atque prosperrime semper agite.

Galenus:

Απαντα ταυματα της Φυσεως εργα.

Omnia Naturae opera sunt admiranda.

0056 52,669.

Digitized by Google